



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæst. III. De Materia in quantum potentia est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

dici ad convertentiam? Si sint accidentia Logica, magis cum illis convertetur, utpote sibi identificatis, cum tamen formæ substantiales, non identificentur materiæ; si autem sint accidentia Physica, æque sine illis, poterit existere forma, ut sine formis substantialibus.

Obijciunt Quinto. Causalitas causæ formalis, etiam à Deo, est insupplebilis; sed forma dicit causalitatem in materiam. Ergo hanc causalitatem Deus supplere non potest. Ergo nec materia existere sine forma poterit.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, causalitas causæ materialis à Deo est insupplebilis, sed materia, dicit causalitatem, in formam. Ergo illam Deus supplere non poterit, adeoque forma, divinitus etiam sine materia, existere non poterit, cum tamen de facto formæ accidentales existant, in Eucharistiâ, sine subiecto. Quod si dicas, suppleri illic causalitatem, causæ materialis, in genere causæ efficientis, dante scilicet, concursu consimilem conservativum Deo, qualem exhibuisset, in præsentia subiecti materialis, idem in præsentia etiam dici poterit.

INSTABIS. Etiam divinitus non potest esse albu, sine albedine. Ergo nec materia, sine forma.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia esse album, est effectus formalis primarius albedinis, vix ab ea in subiecto apto positâ, ratione distinctus, consequenter, si habetur alicubi, album esse, habetur albedo. Esse autem materiæ, non est effectus formalis primarius formæ, hinc bene poterit dari, ut existat materia, sine forma substantiali.

INSTABIS. Etiam divinitus, non potest existere compositum hoc, quale datur à parte rei, sine formâ. Ergo etiam nec divinitus existere poterit materia, sine forma.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: Quia esse compositi, non habet entitatem distinctam à materia & formâ, hoc ipso ergo; quia non esset entitas formæ, non esset compositum, entitas autem materiæ non est entitas formæ, sed quid realiter ab illa distinctum, consequenter poni poterit entitas Materiæ, & non poni entitas formæ.

Casu autem, quò materia existeret divinitus, sine omni formâ substantiali concursus, ad ita existendum exhibitus, esset concursus in entitate naturalis, supernaturalis quoad modum. Quia tunc est concursus supernaturalis, quoad substantiam; quando vel producitur effectus, excedens, vel quando suppletur concursus, seu causalitas alicujus causæ; Concursus autem supernaturalis, quoad modum est quem exhibet Deus, in his circumstantiis indebitis, exhibetq; illum, tanquam auctor miraculorum, non supplendo tamen ullam causalitatem; & quia, etiam in præsentia, nullam causalitatem supplet Deus, cum forma, non causet materiam, fit ut hic concursus sit supernaturalis, non nisi quoad modum.

DE potentia, absolute & radicaliter spectatâ, egimus supra, ubi de primo essentiali conceptu Materiæ nunc agitur, de potentiâ relative spectatâ. Porro pervulgatum est, materiâ, vocari puram potentiam, sed in quònam sensu, controversum est. Thomistæ enim aliqui, omnem illi actum negant, sed cum Nominalibus, & Nostri, Scotistæ tribuunt, ut hoc intelligatur.

PRÆMITTO Primo ex Hurtado Disp. 2. Phys. Sect. 2. *Potentiam aliam esse objectivam, aliam activam, aliam passivam.* Potentia objectiva, sive Logica, est mera & sola non repugnantia rei ad essendum, & hæc potentia competit Entibus nondum existentibus, eiq; opponitur actus existentia. Materia à parte rei posita, quòd non sit potentia Logica, probatum, ubi de ejus propriâ existentia. Potentia activa est vis productiva, alicujus effectus, qualis potentia, est in igne, ad comburendum, an materiæ conveniat aliquid producere? infra agetur. Potentia passiva est subiectum receptivum formarum, & in isto sensu, materia, potest dici pura potentia, ei enim convenit recipere formam, & non recipi in alio subiecto. Cæterum non ita est potentia, ut excludat omnem actum, quod ut intelligatur,

PRÆMITTO Secundo ex Suar. Disp. 13. Metaphys. Sect. 7. n. 7. *Actum interdum sumi absolute, interdum respectivo.* Respectivè sumitur, cum sumitur per ordinem ad aliud, ut cum dico, formâ esse actum materiæ, absolute sumitur actus, quando sumitur aliquid, pro eo, quod in se est actuale quid, quantumvis nihil actuet, & ita Deus dicitur actus, quamvis Deus nullius entis sit formâ. Rursus, uterque hic actus, alius est Physicus, alius Metaphysicus. Physicus actus est v.g. formâ, Metaphysicus autem actus est multiplex, aut enim est actus existentia, & vocatur differentia, aut actus existentia, & vocatur existentia, aut actus entis per se, & vocatur substantia. Specialiter actus absolutus, alius est completus, alius incompletus, actus absolute completus est, qui in genere entis vel substantia, ita est completus, ut nec constituatur per actum physicum, à se distinctu, neque illo indigeat, & talis est v.g. Angelus. Alius est actus absolutus incompletus, & est entis illud, quod habet actualitatem aliquam, in quantum est extra nihil, sed ita, ut tamen ordinetur ad aliud. Isti ergo, qui tribuunt materiæ aliquam actualitatem, tribuunt ei actualitatem Metaphysicam incompletam, eo quòd etiam illa ordinetur ad formam, quando autem dicitur, materia esse actus absolutus, ly absolutum non supponit pro radicali, sed supponit pro absoluto, prout condistinguitur ab actu, qui ad aliud actum ordinatur.

PRÆMITTO tertio ex eodem. *Distincta hæc esse, Materia est pura potentia, & materia est in pura potentia.* Prior propositio est vera, solum enim significat, materiam non nisi debere, ut sit subiectum, nec ullo modo convenire ei ut sit actus Physicus, posterior autem propositio, si non falsa, saltem ambigua est, videtur enim significare, quod materia, habeat negationem actualis existentie.

DIFFICULTAS I.

An Materia sit pura potentia?

DICENDUM est. *Materiam primam, non esse pure potentiam, quæ sit cum exclusione actus Metaphysici, seu entitativi.*

PROBATUR primò Auctoritate Aristot. ex 1. Physicor. tex. 69. Ubi materiam primam comparat, cum ligno, ex quo fit statua, quod certe habet entitatem actualem, independentem, à formâ statuar; Deinde 1. Physicor. tex. 82. dicit Materiam esse subiectum, ex quo, per se aliquid fit, cum in sit, quomodo autem inesset si nullum actum entitativum portaret. Similia habet septimò Metaphys. & tertio de Cælo C. 8. Citat Suarez etiam auctoritatem S. Thom. quæst. 1. de Spirit. creaturis ar. 1. & tertio contra gentes C. 20. ubi dicit, perfectius esse compositum, quam sit ipsa forma, quod certe non diceret, si non sentiret, aliquam perfectionem habere Materiam. Similia habet primâ parte q. 45. articulo 1. ad primum, & ibi quæst. 14. ar. 11. ad tertium: & quæst. 3. de veritate ar. 5. ad primum.

PROBAT secundò Suarez. Potest materia, in suo conceptu, intelligi composita ex genere & differentia, ut si distinguatur materia cæli à materia sublunarium. Ergo habet suum actum Metaphysicum.

CONFIRMATUR ex Maffrio. Materia secundum se considerata, vel est aliquid, in rerum naturâ, vel est nihil, non potest dici nihil. Tum quia ex 1. Physic. est principium rerum in fieri & ex 2. Physic. est natura per se, & causa compositi intrinseca ex 7. Metaph. est fundamentum formarum, ex Theologia terminus creationis. Tum quia, si materia, est nihil. Ergo composita substantialia, dependerent in suo esse, & existere, à nihilo, cum dependeant à materiâ. Quod si materia, est aliquid in rerum naturâ, quæro, vel est accidens, vel aliquid substantiale? non potest dici, quod sit accidens, est enim subiectum formæ substantialis, forma autem substantialis, non est in accidente, & est pars intrinseca compositi substantialis; quod si materia, est substantia, & non eadem cum forma. Ergo habet suum actum entitativum.

PROBATUR tertio. Falsa est hæc propositio,

materia non est ens actu. Ergo debet esse hæc vera, materia est ens actu. Ergo ulterius, materiam non convenit, esse puram potentiam, quæ, sit cum exclusione actus entitativi, cui enim, competit esse Ens actu, illi non competit negatio entis actu. Ergo nec competit exclusio actus entitativi, exclusio enim actus entitativi, est negatio entis actu. Antecedens primum probatur. Creatura est ens actu, materia prima est Creatura. Ergo. Major probatur. Nihil non est creatum, aliàs esset creatum, & non esset creatum. Ergo creatura est ens actu, idem enim ista significant. Minor autem est de fide. Rursus. Materia est, & non est Deus. Ergo est creatura.

RESPOND. primò Thomistæ. Materiam esse nihil existentie, licet non sit nihil essentia.

CONTRA est. Tum quia si materia, non est nihil essentia. Ergo est actus essentia. Ergo adhuc habetur intentum. Tum quia ex indistinctione actualis essentia ab existentia, sequitur materiam habere actum existentia. Tum quia falsa est hæc propositio: materia actu, est nihil essentia. Ergo vera erit hæc: materia actu, non est nihil essentia. Ergo ulterius vera hæc, materia est actualiquid essentia, nam ex duobus negativis, resultat positivum quid. Quod si vera hæc propositio, materia est actu aliquid essentia, id est habens actu aliquam essentiam. Ergo vera erit, & hæc: Materia est actu aliquid entis, id est, habens actu aliquam entitatem, essentia enim, est ens. Ergo ulterius vera erit hæc: materia est ens actu, quod sic probatur: quod habet actualiquam entitatem, illud est ens actu, habet ex concessis materia, actu entitatem. Ergo est ens actu.

RESPOND. Materiam, habere quidem entitatem realem, tamen non esse ens in actu.

CONTRA Si concedis, materiam non esse puram potentiam objectivam, licet sit pura potentia subjectiva, hoc ipso concedis, non esse actu nihil essentia, adeoque, esse actu aliquid entis, habendoque entitatem realem, habere actum entitativum.

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristotelis.

RESPOND. Quod dicat, materiam esse puram potentiam subjectivam, hoc est, nihil actus physici involventem; sed non voluit esse puram potentiam Logicam, & objectivam, quæ sit per exclusionem actus Metaphysici. Quo etiam modo solvi debet auctoritas S. Thomæ; Si alicubi oppositum significat.

OBJICITUR 2. Materia est pura potentia. Ergo, non potest habere aliquem actum. Ergo neque entitatem actualem. Secunda consequentia probatur, quia actualis entitas, est aliquis actus, nam est ens actu. Antecedens probatur auctoritate, est enim axioma; materiam esse puram potentiam.

RESPONSUM supra materiam esse puram potentiam, per exclusionem actus Metaphysici. Ex dictis etiam supra, negari potest, secunda consequentia, cum sua probatione, licet enim sine controversia, vera sit hæc propositio; actualis entitas, est in actu, sed hæc est dubia, actualis entitas, est aliquis actus, ly enim, actus, potest hic supponere pro actu Physico.

OBJICITUR 3. Si materia, non est pura potentia, vel est composita ex potentia, & actu, vel est aliquis actus; sed materia neque est composita ex potentia & actu, neque est actus. Ergo est pura potentia. Minor probatur, quoad primam partem: si materia esset composita ex actu, & potentia, daretur potentia prior ipsa materia, quod est absurdum, nam daretur aut processus in infinitum, in istis compositionibus, aut deveniretur ad aliquam potentiam, quæ non esset composita ex actu, & potentia, & hanc, tandem, dicerem esse materiam primam. Non potest etiam dici, quod sit materia, actus, quia vel esset actus informans, vel subsistens, non potest esse actus informans, aliàs esset actus, alius subjecti, atque jam, ita, materia daretur materia: non potest etiam esse actus subsistens, quia si materia, esset actus subsistens, talis, qui informare non possit: Ergo esset substantia completa, haberet se enim ita, sicut Deus & Angeli, qui sunt actus subsistentes, & substantiæ completæ.

RESPONDET Suarez. Materiam esse compositam, non ex potentia, & actu Physico, sed esse compositam ex potentia, & actu Metaphysico, hoc est, ex genere & differentia, neque est absurdum, potentia Physicâ, dati priorem potentiam Metaphysicam, quia hæc prioritas, est per solam rationem, sicut non est absurdum, dari aliquid in homine prius homine per conceptum, hoc est genericam rationem animalis.

INSTABIS. Materia est simplex entitas. Ergo, vel est tota, actus, vel tota potentia: sed non est tota, actus. Ergo nihil actualitatis continet.

RESPONDETUR. Materiam esse simplicem entitatem in ordine Physico, hoc est non compositam ex subjecto Physico, & forma Physicâ, sed actu non esse simplicem entitatem, seu in completam in ordine Metaphysico, est enim composita ex potentia ipsa, ad existendum, hoc est non repugnantia, ut existat, & ex actu Metaphysico, hoc est actuali existentia, item ex genere suo & differentia, cum quo stat, ut tota sit Physica potentia, & simul tota, actus Metaphysicus, utpote identificans sibi, suam existentiam.

OBJICITUR 4. Omnis actus, est propter operationem; Materia non est propter operationem. Ergo non est actus.

RESPONDETUR. Omnem actum informan-

tem, aut completam substantiam, esse propter operationem, non tamen omnem actum entitativum, esse propter operationem, certè enim actus entitativus, potest ad aliud genus causæ exercendum institui, v.g. ad recipiendum, non verò ad agendum tantum, in genere causæ efficientis. Potest etiam ostendi operatio materiæ, emanatio scilicet quantitatis, potest denique transire totum, non enim, dicimus materiam esse actum, sed in actu. Quod si dicas, omne quod est in actu, esse propter operationem, vel negabitur Major, vel ex dictis, distinguatur.

OBJICITUR 5. Nullus est actus, qui seipso non habeat actualitatem. Materia, seipsa non habet actualitatem, actualitas enim habetur à forma, & tamen, materia, seipsa non est forma.

RESPONSUM supra. Actualitatem Physicam, tribui formæ, sed non actualitatem Metaphysicam, vel certè omnis actualitas, est à forma, vel distincta, vel identificata, jam autem materiæ, non identificatur quidem forma Physica, identificatur quidem forma Physica, identificatur Metaphysica forma.

INSTABIS 1. Si Materia esset in actu, non posset fieri ex illa, & forma, unum per se; ex duobus enim entibus in actu, non fit unum per se.

RESPOND. Ex duobus entibus in actu completis, & ad se cum sua actualitate substantialiter non ordinatis, non fit unum per se, secus de aliis entibus. Rursus, si materia esset in actu Physico, non posset fieri, ex illa, & forma, unum per se, sed bene fieri potest ex actu Metaphysico, & forma physica, unum per se; imò fieri non posset, ex istis duobus, hoc est, materia & forma unum per se, nisi Materia, esset actus Metaphysicus: esset enim nihil: ex forma autem, & nihilo, unum per se non fit.

INSTABIS 2. Purus actus, ita est actus, ut nihil admixtum habeat potentialitatis. Ergo & pura potentia, ita debet esse pura, ut nihil habeat actualitatis; Materia est pura potentia. Ergo nihil habet actualitatis.

RESPONDET Suarez. Distinguendo consequens, quod scilicet pura potentia, nihil habeat actualitatis, quæ sit à forma Physica, licet necessario debeat habere aliquid actualitatis, à forma Metaphysica: hoc est, suo esse, extra causas. Restituitur argumentum, purus actus, nihil habet potentialitatis. Ergo & pura potentia, nihil habet etiam actus Metaphysici. Dissolvitur assignat Suarez: quia talis potentia, est impossibilis à parte rei, quæ non includat actum Metaphysicum, possibilis autem est, talis actus, qui non involvat ullam potentialitatem, quod ipsum probat; quia non repugnat dari talem perfectionem, quæ nullam habeat admixtam imperfectionem, impossibilis autem est talis imperfectio, quæ nullam habeat admixtam perfectionem.

fectionem, quia potius istud Ens, non esset ens, sed nihil, & negatio omnis perfectionis, & sicut possibile est summum bonum, quod est, sine ulla mistura mali, quamvis sit impossibile summum malum, quod sit sine mistura boni; ita possibilis erit purus actus, qui sit sine mistura imperfectionis, impossibilis autem erit pura potentia, quæ sit sine mistura perfectionis.

Aliter paulo satisfit eidem difficultati, quod scilicet, & esset cum exclusione omnis actus, illa potentia, ut supponitur, & non esset; quia, quod est extra causas actus, non est cum exclusione omnis actus, illa autem potentia, esset extra causas actus: deinde si illa pura potentia, non haberet quidquam actualitatis, vel verum esset, de illa dicere, non est actu nihil essentia, vel non esset verum: Si non esset verum dicere, ergo est actu aliquid essentia, adeoque & ipsa est actu: si autem est verum dicere, est actu nihil essentia, ergo ita se habet post productionem suam atque ante illam, veraque erit de illa, prioris propositionis contradictoria, est actu, nihil essentia.

INSTABIS 3. Si materia prima involveret aliquid actualitatis, actus purus, & pura potentia, non distarent maximè, sed debent distare. Ergo. Sequela probatur: Magis distarent, pura potentia, & actus purus, si pura potentia, nihil actualitatis haberet.

RESPONDETUR. Minorem esse falsam, quia accidentia, magis distant à Deo, quam materia, utpote participans de genere substantia.

Deinde dicit Suarez, actum purum & materiam, maximè distare, non negativè, hæc enim est distantia, inter Deum, & nihil, sed maximè positivè, hoc est distantia debita entibus positivis: quod si, materia distat ab actu puro, distantia positiva, hoc ipso actualitatem aliquam importare debet, aliàs hoc ipso, non esset hæc distantia positiva.

Dici etiam posset, impossibilem esse distantiam maximam, inter Deum, & aliquid creatum, quia illa creatura, deberet esse imperfectissima, non est autem, possibilis creatura imperfectissima, quia aliàs Deus, jam non esset, ab ulla creatura minus participabilis, hoc autem non potest dici: quia quod est participabile in infinitum, magis & magis, necessariò est participabile in infinitum, minus & minus, aliàs deveniretur ad ultimum, infinitudoque perfectionis, clauderetur termino, nec eadem esset via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Si autem Deus est participabilis in infinitum, minus & minus; ergo illa creatura imperfectissima, non esset imperfectissima, utpote, quæ deberet dari, minus participans, de Deo, adeoque minus perfecta.

OBJICITUR 6. Si materia, esset aliquid

actu, esset vel substantia, vel accidens: non est accidens, ut constat, ergo est substantia. Sed materia, substantia esse non potest, quod ipsum probatur; quia quod est potentia ad substantiam, non est actu substantia: quod est enim potentia ad aliquid, non est actu illudmet, sed materia est potentia ad substantiam. Ergo.

RESPONDETUR. Quod est potentia Logica ad aliquid, non est illudmet ipsum, concedo: quod est potentia Physicè, est tamen actus Metaphysicè, non est illudmet ipsum, nego.

Deinde quod est potentia ad physicam substantiam, hoc est, formam substantialem, si sit etiam potentia, respectu totius generis, & latitudinis substantia, non est illudmet ipsum, in genere substantia, quod est substantia; potest tamen esse substantia, si non sit potentia respectu totius latitudinis substantia. Ad habendum autem actum substantialem, non est in potentia Materia, quæ est à parte rei, sed de facto illam habet, qui tamen actus substantialis materia, continetur intra latitudinem substantia, ut sic.

OBJICITUR 7. Si materia esset actus entitativus, non salvaretur in ea, ratio puræ potentia, per hoc enim solum salvaretur, quia materia non reciperetur in alio priori subjecto, sed hoc non salvat, quomodo materia sit pura potentia: quia non potest dici forma purus actus, ex eo, quia non informatur aliò actu. Ergo nec potest dici materia pura potentia, quia non recipitur in alio priori subjecto.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: ideo non dicitur forma, actus purus, quia quamvis non sit informabilis ab alia forma substantiali, est tamen capax adhuc formarum accidentalium, & non excludit, quominus sit verè potentia Physica, assignabilisque est alius actus, qui minus habeat potentialitatis, nempe Deus. Materia autem bene potest dici pura potentia, quia ita non recipitur in alio subjecto, ut non sit actus Physicus, sed potentia Physica, nullumque respectu illius datur etiam accidentale subjectum, nec est assignabilis entitas, cui magis competat potentia subjectiva.

Quamquam videtur hic esse quæstio de voce ideo enim non appellatur forma, actus purus, quantumvis à nullo actu substantiali informetur, quia nomen hoc actus puri, usurpant Doctores, ad significandum non istud, quod non actuatur ab alio actu substantiali, sed usurpant ad significandum Ens à se, & quod ad nihil sui, est in potentia Physica, nomine autem puræ potentia, significant id, quod in nullo priori subjecto recipitur.

OBJICITUR 8. Ita se habet materia ad formas substantiales, sicut quantitas ad terminos, & figuras; sed termini quantitatis, non sunt entitas

tas distincta à quantitate, nec quantitatis entitas à terminis. Ergo & entitas materiæ, non est distincta à formis.

RESPONDETUR. Negando maiorem: quia termini quantitatis, sunt ipsa entitative quantitas, dicens negationem ulterioris extensionis, de quo infra; jam autem forma, non est ipsa entitas materiæ, ita vel sic affecta, præterque ipsam materiam, datur forma substantialis.

OBJICITUR 9. Si haberet propriam entitatem materia, esset absolute sine forma cognoscibilis, quod tamen negat Philosophus 1. Physicor. tex. 69. & 7. Metaphys. Tex. 3 5.

RESPONDETUR. Materiam, quæ relative accipitur, non esse cognoscibilem sine formâ, licet secundum aliquod esse absolutum, sit cognoscibilis sine formâ, nec obest, quo minus habeat entitatem, quamvis relative accepta, non sit cognoscibilis sine formâ, quia etiam forma, relative accepta, non est cognoscibilis sine materiâ, Pater item sine filio, & tamen utrique convenit sua entitas.

OBJICIUNT. 10. Complutenses. Ens dividitur in potentiam, & actum, ex 9. Metaph. C. 1. Ergo per hoc ipsum, quia aliquid est pura potentia realis, etiam si omnem prorsus actum excludat, poterit habere rationem entis realis.

RESPONDETUR. Etiam si aliquid excludat omnem actum Physicum, potest habere rationem entis realis, non potest tamen habere rationem entis realis, si excludat etiam actum Metaphysicum, propter dicta supra.

Rursus, divisio illa, est in potentiam Physicam, & in actum Physicum; potentia autem Physica, non excludit actum Metaphysicum: si autem sit divisio in potentiam Logicam, & actum Logicum, seu Metaphysicum, hoc quidem ipso, quia est potentia Logica aliquid, est Ens, sed non est Ens reale, quia etiam genus, quod dividitur, non est Ens reale, sed ens latius, nec participabunt hæc membra dividentia de se ad invicem, quia potentia Physica, & actus Physicus, non participant de se, licet potentia Physica, possit participare de actu Metaphysico, neque enim hæc duo, sunt membra dividentia proportionata.

DIFFICULTAS II.

*An esse potentie in Materia, sit primò
essentiale illi, & an identifica-
tum illi?*

Hæc quæstio decidi debet, ex istis, quæ docuimus, in materia de relationibus transcendentalibus, ubi asseruimus nullam relationem transcendentalem, esse primò essentialem rebus absolutis. Sit:

Quid tenendum?

DICENDUM est. *Materia non esse primò essentialiter rationem potentie formaliter acceptam.* Est conclusio Scoti in secundum distinct. 12. q. 1. & in quartum Disp. 11. q. 3. Eandem hinc in Polonia multis argumentis stabilivit Smigletius.

PROBAT P. Adrianus Pikarski. Nulla est necessitas, magis includi rationem potentie in materia, quam includatur quælibet passio in sua essentia, vel in entitate filii, relatio filii ad Patrem, vel ordo subiecti ad accidentia, ab eodem subiecto importatus. Ergo non est primò essentialis ratio potentie in materia.

RESPONDERI posset. Nulla est necessitas, magis determinabilitatem, quæ est primò essentialis conceptus materiæ, per argumentem, ponere pro primo essentiali conceptu, & non ponere potentiam, & si determinabilitas Materiæ non est passio materiæ nec erit potentia. Exempla autem, quæ adfert, non convincunt, in omni enim sententia, per prius est essentialis potentia materiæ, quam passio, hæcque duo distingui, vel inde constat, quia esse creaturam, non est passio hominis; esse autem risibile, est passio, & quia esse potentia in materia, ita se habet, sicut esse creaturæ: certè sicut esse creaturæ non est passio Entis creati, ita nec potentia erit passio materiæ. Rursus passio videtur emanare, jam in suppositione, etiam secundò essentialium conceptuum, & quia etiam per argumentem potentia est secundò essentialis conceptus materiæ, hoc ipso non se habebit potentia ut passio materiæ, nec sequetur ex eo, non esse illam essentialem primò, quia passio non est essentialis primò. Negabunt item oppositi, æquè se habere potentiam in materia, ac relationem, hæc enim, est quid accidentale, materiæ autem, non accidit esse potentia: negabunt item ordinem subiecti ad accidentia, non esse primò essentialem.

PROBAT idem. Si materia esset essentialiter ordo ad formas, non possent adversarii dicere, quod materia dicat essentialiter ordinem ad formas, nisi nugaciter, sensus enim huius propositionis: Materiæ est ordo ad formas essentialis, sensus inquam esset, quod ordo materiæ, ad formam, dicat essentialiter ordinem ad formas, quod non nisi nugaciter dicitur.

RESPONDERI posset, retorquendo argumentum, contra eundem in quantum tenet primò essentialem conceptum materiæ, esse determinabilitatem, si materiæ primò essentialis conceptus esset determinabilitas per formas, tunc huius propositionis Materiæ est primò essentialis conceptus, determinabilitas, sensus inquam esset

esset, quod determinabilitatis, primò essentialis conceptus, sit determinabilitas, eadem retorasio fieri potest in quacunque materia, & ita etiam non poterit dici, per arguentem, relationis primò essentialis conceptum esse, *esse ad aliud*, quia aliàs hujus propositionis: relatio primò essentialiter est ad aliud, sensus erit primò essentialiter ad aliud, hujusque propositionis, homo est primò essentialiter animal rationale, sensus erit, primò essentialiter animal rationale, est animal rationale. Quòd si in his retorasionibus, dicatur sufficere, ne propositio sit nugax aliud ex modo significandi importare subjectum, & aliud importare prædicatum, sensumque non fore hoc ipso nugacem, ita in præsentii, idem etiam poterit.

PROBAT idem. Quod essentialiter est ad aliud, non potest sine eodem alio existere: atqui materia potest existere, non existentibus formis omnibus, tam singularim, quam collectivè sumptis, saltem miraculosè. Ergo materia non est essentialiter ad aliud. Major probatur: id quod ab alio pender in essendo, pender etiam in existendo, & ita, quia creaturæ, pendent in essendo à prima causa, non possunt existere non existente Deo, modalis item entitas, quia dependet in essendo à subjecto, etiam in existendo dependet ab illo.

RESPONDETUR. Hoc argumentum etiam proponenti solvendum esse, non est minus essentialis potentia ratio creaturæ in ente ab alio, quare ergo non potest substantia creata existere, independentè à Deo, & tamen existere potest materia, sine omni forma; Directè autem dici potest, materiam posse existere, sine omni forma actualiter existente, ad quam non dicit etiam materia ordinem essentialem; sed non potest existere, sine omni forma possibili, ad quam dicitur, ordo essentialis.

Denique argumentum multum probat, probat enim etiam potentiam, non esse secundo essentialis materiam, quia nihil potest existere sine suo secundo essentiali, utpote quod idem est in re, cum primo essentiali, & tamen materia potest existere sine forma.

Adde. Condistinguendæ sunt hæ propositiones, materia sine forma potest existere, hancque probabunt etiam oppositi, & alia, hæc, materia potest existere sine ordine ad formas, hanc negabunt oppositi, & negare debet ipse arguens.

PROBAT denique idem. Essentia materiæ, neque est purè relativa intrinsicè, neque est ex parte relativa intrinsicè. Ergo materia primò essentialiter non constituitur ordine ad formas. Antecedens probatur; quoad primam partem. Si essentia materiæ esset purè relativa, etiam forma deberet esse purè relativa, invicem enim ad se ordinem dicunt; si autem & forma, & materia, itemque ejus unio, esset relativa, totum

compositum esset relativum, consequenter nullum physicum Ens, foret nisi in prædicamento ad aliquid, homoque ponendus esset in prædicamento relationis, imò darentur relationes circa omne fundamentum absolutum. Quòd verò essentia materiæ, non sit ex parte relativa, probat: quia sequeretur illud aliud parziale absolutum, non dicere ordinem ad formas, quod dici non potest, quia aliàs esset aliquid in materiæ essentia, quod non esset essentialiter materia: per oppositos enim, illud essentialiter est materia, quod dicit ordinem essentialiter, ad formas.

RESPOND. Quòd materia sit ex parte essentialiter relativa, eo, quòd sit Ens nonnisi impurè absolutum, docentque illud parziale absolutum, non dicere ordinem ad formas, negant tamen aliquid in materia esse, quod non sit materia, quam docent, & absolutum & respectivum aliquid, importare æquè primo; & sicut per nos, ne aliquid sit in materia, quod non sit potentia formaliter, sufficit identitas realis, ita & per illos sufficiet. *Hinc aliter*

PROBAT primò Smiglerius. Nulla relatio potest esse primò essentialis absoluto: atqui potentia est relatio, materia verò est quid absolutum. Ergo primò essentialis, materiæ potentia esse non potest. Major probata est in Logica, & certè implicat, uni eidemque convenire duo contradictoria, sub una eademque ratione, cum igitur esse ad aliud, conveniat rei, sub ratione relativa, non esse ad aliud sub ratione absoluta, necesse est, hæc non esse idem.

CONFIRMATUR ex eodem. Tum quia nulla potentia, est sui ipsius potentia, sed supponit aliquid, cujus sit potentia. Ergo & potentia materiæ, supponit essentiam materiæ, adeoque primo eam non constituit. Antecedens probatur, quia ista tria, operatio, potentia, essentia, sunt talia, ut operatio præsupponat potentiam, potentia essentiam.

Neque valet, si dicas, potentiam accidentalem, supponere esse, non verò potentiam substantialem, quia etiam potentia substantialis, non amittit rationem potentia. Ergo si accidentalis potentia præsupponit essentiam, etiam substantialis ex modo concipiendi præsupponet. Tum quia etiam dato, quòd materia, sit Ens impurè absolutum, adhuc de primo essentiali conceptu absoluti, non erit relativum, idque ideo, quia, ita tunc conflaretur materia ex esse absoluto, & relativo, sicut conflatur homo ex animali & rationali, & quia rationale, non est de essentia animalis, nec de ratione absoluti, esset relatio, imò specialis est ratio, quare de essentia absoluti, non possit esse relatio, quia res diversorum prædicamentorum, non possunt constituere unum per se, sed unum per accidens; absolutum autem, & relativum, sunt res diversorum prædicamentorum. Tum quia

ra-

rationes duæ disparatæ, quæ se invicem tollunt, non possunt invicem de se affirmari, nec una esse de essentia alterius, talis est ratio relativa & absoluta. Ergo Minor probatur: quia ratio absoluta, dicit non esse ad aliud, ratio relativa, dicit esse ad aliud. Ergo se invicem tollunt. Tum quia, omnis relatio est alicujus relati, non enim sui ipsius est relatio, sed alicujus quod per illam refertur, relatio enim refert, & est ratio referendi ipsa verò non refertur, sed subiectum vel quasi subiectum illius. Ergo in relatione materiæ ad formam, assignandum aliquid, quod referri debeat, hoc autem, non aliud est, quam ipsum esse absolutum. Tum quia prius est rem esse in se, quam esse ad aliud, sed esse absolutum, est esse in se, esse relativum, est esse ad aliud. Ergo prius est esse absolutum, quam esse relativum.

PROBATUR 2. Sive materia, sit purè absolutum quid, sive purè relativum, sive impurè absolutum, & impurè relativum, non potest inferri legitime, quod de primo essentiali conceptu materiæ, sit ratio relativa. Ergo ratio potentiæ, non est primò essentialis materiæ, ratio enim potentiæ, formaliter accepta, est ratio relativa. Antecedens quoad primam partem, sic probatur: Si materia sit purè absoluta, non potest de primo essentiali conceptu illius, esse quid relativum, hoc ipso enim jam esset, & purè absolutum. Ens, ut supponitur, & non purè absolutum. Ens, quia haberet se primo essentialiter relativè; Quoad secundam partem sic probatur: Supposito, quod materia sit Ens purè relativum, esset quidem de primo essentiali conceptu ratio relativa, sed quæro, vel esset relativa ut Quo? vel relativa, ut Quod? non esset relativa ut Quo; quia non esset relatio, sed id quod refertur ad formam, tanquam subiectum eidem unibile, non autem relatio est formaliter unibilis, sed relatum: quod si illa relatio non esset relativa ut quo, sed ut quod: Ergo esset concretum, ex relatione, & absoluto, ex quo enim alio? Ergo non esset purè relativa, posito autem, quod non sit purè absoluta, nec purè relativa materia, sic quoad hanc tertiam partem probatur. Antecedens: posito, quod materia sit primò essentialiter conflatum ex absoluto, & relativo, primo essentialis conceptus absoluti, & primò essentialis conceptus relativi, vel erunt distincti, vel non erunt distincti: si non erunt distincti: Ergo nec illic erit conflatum ex istis duobus, quomodo enim conflari aliquid potest, ex duobus, si illa non sint duo: illa autem non sunt duo, quorum primò essentialis conceptus idem, & sicut ex homine, & animali rationali, tanquam duobus, non posset duplex conceptus conflari, ita nec ex illis rationibus; Deinde utrumque illorum membrorum prædicti conflari, quod est impurè absolutum, utrumque inquam illorum membrorum, distinctam haberet definitio-

nem: absolutum enim, & relativum, aliâ definitione definiuntur, quomodo ergo utriusque illorum membrorum, idem erit primò essentialis conceptus? imò sequetur, utrumque esse, vel absolutum, vel relativum, si idem erit, utriusque primò essentialis conceptus, adeoque conflatum, ex illis, non esse illud impurè absolutum. Si autem illorum duorum membrorum, primò essentielles conceptus, sunt distincti: Ergo de ratione absoluti, non erit primò essentialis ratio relativa, quia nec rationis relativæ, primò essentialis conceptus erit, conceptus absoluti, cumque tota radix, omnis distinguishibilitatis, sit alietas, primò essentialis conceptus, qui ad invicem non possunt accommodari, nec ad invicem convenire, cum ratio absoluti & ratio relativi, distinguantur inter se, nec unum, erit de primo essentiali conceptu alius; Sed in illo conflato ex absoluto & relativo, absoluti primò essentialis conceptus, erit absolutus, relativi relativus. Ergo unum, non erit de primo essentiali conceptu alterius. Ergo nec in materia de primo essentiali conceptu absoluti, erit aliquid relativum, quæ ipsæ duæ formalitates, si inter se comparentur, semper absolutum, prius erit relativum, propter rationes supra, ex Smigletio adlatas.

PROBATUR 3. Posito, quod materia sit impurè quid absolutum, & quod de primo essentiali conceptu illius, sit relatio potentiæ, sequeretur relativum primò essentialiter, non esse relativum; hoc est absurdum. Ergo. Sequela probatur: relativum primò essentialiter, esset absolutum. Ergo relativum primò essentialiter non esset relativum. Antecedens est conclusio oppositorum. Consequentia probatur, quod est absolutum, illud non est relativum, sed relativum primò essentialiter, esset absolutum: Ergo relativum primò essentialiter, non esset relativum. *Neque valet, si dicas*, quod est absolutum purè, illud non est relativum; sed non illud, quod est impurè absolutum.

CONTRA enim erit, illa pars secunda, quæ dicitur absoluta, vel est purè absoluta, vel impurè, si impurè, de illa ipsa, quæro, an sit absolute pura? & sic debebis concedere, vel processum in infinitum, vel devenire ad absolute puram, & de hac parte quæro, estne essentialiter relativa, an non? Si non est primò essentialiter relativa, ergo non ostendis, contra quam intenderis, quod de absoluto alicujus conceptu primò essentiali, sit relatio; si autem illa pars, esset primò essentialiter relativa: Ergo primò essentialiter relativum, non est relativum, est enim absolutum, & sicut conflato illi ex animali & rationali, non est de primo essentiali conceptu animalis, rationale, ita in impurè absoluto, de primo essentiali conceptu absoluti, non erit relatio, ut in simili dicebat Smigletius.

PUN.

Punctum Difficultatis 2.

Solutio objectionum.

OBJICIT Primò P. Paulus Kaczynski. Si potentia subjectiva non esset primò essentialis materiæ, daretur processus in infinitum in potentiis subjectivis, quod est absurdum. Sequela probatur: quia si potentia subjectiva, non esset primò essentialis materiæ, daretur in materia, alia potentia prior hæc, & sic in infinitum, quod ipsum probat illa potentia, quam negamus esse primò essentialem, haberet se per modum formæ superadditæ, forma autem præsupponit ante se potentiam. Rursus hæc præsupposita potentia estne primò essentialis, vel non? si est; primò essentialis: Ergo & illa, de qua negabamus, erit primò essentialis: Ergo habebit se, per modum formæ. Ergo præsupponet aliam ante se potentiam, & sic in infinitum.

RESPONDETUR. Potentiâ relativè acceptâ, dari priorem non re, sed per rationem, nempe potentiam radicaliter acceptam, quâ non datur alia, re prior, materia enim non est potentia, reipsâ composita, nisi forte ex partibus suis homogeneis, & quia non dabitur prior etiam ratione, potentia, quàm sit illa ipsa, radicaliter accepta, ideo non dabitur processus in infinitum. Tum quia essentiâ ipsa non est quid prius, etiam ratione, radicaliter autem accepta potentia, est ipsa essentia, hoc enim nomine radicaliter acceptâ potentiâ intelligimus. Tum quia illud prius est per rationem, quod fundamento in re præhabito, format intellectus, nulum autem fundamentum præhabet intellectus, ponendæ ulterioris potentiæ in materia, quàm sit illa ipsa radicaliter sumpta. Tum quia, ideo potentiâ relativè accepta, datur per rationem prius aliquid, quia de ratione absoluti non potest esse ratio respectiva, primò essentialis, quod absurdum non sequitur, si potentia radicaliter accepta, non detur alia prior.

OBJICIT secundò. Seclufis omnibus, quæ censentur ex modo concipiendi, advenire materiæ, adhuc materia esset potentia subjectiva. Ergo illa est primò essentialis materiæ. Antecedens probatur, adhuc seclufis omnibus, quæ censentur ex modo concipiendi, advenire materiæ, materia erit Ens incompletum, & propter formas. Ergo esset adhuc potentia subjectiva.

RESPONDETUR. Seclufis omnibus, fore materiam Ens incompletum, & propter formas, realiter, non verò formaliter; sed nonnisi radicaliter erit propter formas, ad eum planè modum, quò seclufâ risibilitate formali ab homine, erit homo radicaliter risibilis.

Vel certè dici potest, materiam seclufis omnibus advenientibus esse potentiam subjectivam, si materia prout potentia est, adeoque relativè spectetur, non verò si materia spectetur secundum se.

ADDO. Cùm incompletio sit mera negatio, non poterit esse de primo essentiali conceptu Entis positivi, quale est materia; Unde illius propositionis materia est essentialiter Ens incompletum, sensus est, incompletio necessariò est adnexa entitati materiæ.

OBJICIT tertio. Forma, per quam refertur unum ad aliud, est relatio, sed materia per se ipsam refertur ad formam. Ergo materia est ipsa relatio.

RESPONDETUR. Negando materiam, primò essentialiter referri ad formam, vel certè refertur ad formam, prout spectatur per modum potentiæ formaliter, non verò prout spectatur secundum se.

OBJICIT quarto. Id quod prædicatur de alio in Quid, est illi primò essentiali, sed materiæ, prædicatum in quid, est potentia per Aristotelem, qui materiam appellat potentiam subjectum, &c.

RESPONDETUR. Smigletius. Id quod prædicatur de alio in quid, vel est primò essentiali illi, vel idem aliquo modo cum essentia; sed non est necesse, ut sit tantum primò essentiali, hinc etiam dicitur de materia in quid, quòd sit pars, & tamen esse partem, etiam per oppositos, non est primò essentialis conceptus materiæ. Dicimus item, hoc lignum est arca, navis, &c. quæ tamen non sunt primò essentialia ligno, Simitas etiam dicitur nasus curvus, & tamen hoc substantiale, quod est nasus, primò essentiali non est accidenti, quod est simitas. Petrus etiam dicitur Pater, & tamen esse Patrem, non est primò essentiali. Sufficiet ergo, quod primò essentiali in quid, primo dicatur, sicut est primò essentiali; non excludendo, ut aliquid secundo in quid dicatur, sicut primò essentiali non excludit, ut sit aliquid secundo essentiali.

Deinde universaliter loquendo, tunc accidens non dicitur in quid, de subjecto, quando est ita purum accidens, ut non involvat quidquam de subjecto, & ita, quia albedo non involvit quidquam de pariete; Secus simum, arca, &c. jam autem ratio potentiæ involvit ipsammet in se materiam, hinc de illa, in quid, dici poterit.

Dici etiam potest, potentiam, supponendo pro illa radicaliter accepta, dici in quid, de materia, non autem potentiam, formaliter & relativè acceptam, vel certè quod ad prædicationem in quid, in materia necessaria, suffi-

sufficiat, aliquid esse secundò essentialiter. Unde etiam melius explicata fuisset Materia, per hoc, quòd sit essentia exigitiva potentiae ad formam, nisi quòd maluerint Philosophi, attendere ad id, quòd notius est nobis: ignotior autem est nobis illa radix, quàm quòd materia sit potentia.

INSTABIS 1. Docet Aristot. ex materia & forma, fieri unam essentiam, ex actu enim & potentia fit unum; sed si materia non esset essentialiter potentia, non posset ex illa, & forma, fieri una essentia, quia non haberet in sua essentia, id, per quòd formaliter duo efficiuntur unum, nempe potentiam.

RESPONDET Smigletius. Ad hoc, ut materia & forma fiat una essentia, sufficit ut potentia non sit distincta entitas à materia. Si enim & materia sit seipsa potentia, & forma seipsa actus, fiet unum per se ex materia & forma. Ex dictis etiam distingui posset minor, non haberet in sua essentia physicè spectata, materia potentiam. Nego Antecedens, non haberet in se Metaphysicè, & per ordinem ad nostros conceptus, non haberet, inquam, potentiam, idque formaliter spectatam, habendo illam radicaliter spectatam. Concedo Antecedens. Sed inde non sequitur, ex materia & forma non posse fieri unum per se, quia sicut totum compositum est physicum, ita & partes physicè spectatae, componunt illud, sufficereque ut Materia physicè loquendo, sit potentia.

INSTABIS 2. Forma est actus materiae, perficiens illam, in sua essentia immediatè; atqui non perficit materiam, nisi quatenus potentia est: actus enim non perficit, nisi suam potentiam. Ergo materia est essentialiter potentia.

RESPONDETUR. Sufficere ad hoc, ut materia, realiter, secundò essentialiter, & physicè spectata, sit potentia.

OBJICIT quintò. Si non esset possibilis forma, etiam materia non esset possibilis. Ergo inter Materiam & Formam est dependentia, & connexio essentialis.

RESPONDETUR. Esse connexionem essentialem, sed non primò ad eum modum, quòd si non esset possibile risibile, non esset possibilis homo, & tamen risibile non est primò essentialiter homini, quamvis non in omnibus, equiparari debeant risibile in homine, & potentia in materia, sed sufficit ut ad praesens punctum hæc sint paria.

OBJICIT sextò. Si ratio potentiae non esset primò essentialis materiae, sequeretur materiam non esse proportionatam actui: sed hoc est absurdum. Sequela probatur, quia actus esset substantialis, potentia esset accidentalis materiae.

RESPONDETUR. Potentiam esse Metaphysicè, non Physicè accidentalem materiae, adeo-

que propter identificationem cum substantia, esse physicè substantialem. Deinde etiam forma primò essentialiter spectata, non est actus substantialis, formaliter & relativè acceptus, sed nonnisi radicaliter. Unde adhuc erit proportio, inter materiam & formam.

OBJICIT septimò. Ergo saltem sequitur materiae uniri formam, nonnisi mediante accidenti Metaphysico, & non immediatè per suam essentiam, essetque istud accidens, immediatius unitum materiae, quàm forma substantialis.

RESPONDETUR. Concedendo, quòd materiae uniatur forma, nonnisi mediante accidenti Metaphysico, immediatè tamen uniatur duplici ex capite: Imprimis, quia accidens illud Metaphysicum est idem realiter cum materia; deinde quia ipsa materia est ipsum subjectum, & potentia radicaliter accepta, cui adhuc radicaliter acceptae uniatur illa forma, nec est absurdum, quòd potentia formaliter accepta, per prius uniatur intentione Logicà, & ex modo concipiendi, ipsi subjecto radicaliter accepto, præ forma substantiali, quia, per prius est, esse materiam, cum prædicatis sibi debitis, quàm esse sub forma. Phrasis etiam non est valde exacta, quia ratio Potentiae in Materia, potius deberet dici secundò essentialis Materiae, quàm Accidens ejusdem.

Punctum Difficultatis 3.

*Esse Potentiae, identificaturne
Materia?*

PRÆMITTO 1. Materiam pluribus titulis dici Potentiam. Primò ratione compositi, non quòd materia, compositum in se patiatur, sed quia in illo, in actu secundo, exercet rationem potentiae. Secundò est Potentia, ratione formae, quàm in se patitur. Tertiò, materia dici potest Potentia, in quantum patitur actiones, quibus formae in materiam inducuntur.

PRÆMITTO 2. *Ut melius status questionis penetretur, dividi solet ratio potentiae in proximam & remotam.* Remotam potentiam omnes censent esse identificatam realiter materiae; proximam censuerunt aliqui esse accidens, realiter superadditum materiae, qualis fuit Commentator Themistius, Circa quod

DICENDUM est. Etiam potentiam proximam, non esse quid distinctum realiter, à materia; ita Suarez Disput. 13. Sect. 8. n. 3. Hurrad. disput. 2. Sect. 4. Arriaga disp. 2. Sect. 3. Subl. 3. Oviedo Controv. 2. pun. 2.

PROBARI solet Primò. Quia materia essentialiter ordinatur ad formam, sed non ordinatur,

tur, nisi ut potentia receptiva. Ergo illa est essentialiter potentia receptiva. Rursus forma per suam essentiam est actus materiæ. Ergo essentialiter, è converso, materia, est potentia ad formam.

RESPONDERI posset. Quod materia essentialiter ordinetur ad formam; secundum quod est potentia radicaliter & remotè accepta, quæ ipsa est indistincta à materia, licet non ordinetur essentialiter ad formam, secundum quod importat potentiam proximam. Forma è converso, erit actus radicaliter acceptus, non autem proximè. Deinde dici potest, sicut, ut dicatur immediatè ignis B; genitus ab igne A, non est necesse excludi calorem, utpote instrumentum agendi, sed tantum est necesse, excludi aliam substantiam agentem; ita ut immediatè dicatur recipi à materia forma, non est necesse excludi instrumentum recipiendi, hoc est, potentiam proximam, sed tantum aliud substantiale intermediarium.

PROBAT Secundò Oviedo. Ista potentia, vel est substantia, vel accidens; neutrum dici potest: non primum, quia hoc ipso illa potentia, si esset superaddita materiæ, esset accidens. Ergo non esset substantialis. Antecedens probatur. Omnis potentia superaddita, essentialiter supponit subjectum, cui superadditur, tanquam radicem illius. Ergo non est substantia sed accidens. Consequentia probatur, quod est propter aliquid à se distinctum, quod ad ipsum præsupponitur essentialiter, est accidens. Quoad secundam partem, probat idem: Si illa potentia accidentaliter foret, tunc etiam compositum foret accidentale, quia omne compositum immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per unionem. Ergo si immediatè attingitur per unionem potentia, quæ est accidens, compositum illud erit accidentale. Antecedens immediatum probatur. Omne totum immediatè resultat ex partibus, ex quibus immediatè componitur. Ergo & omne totum compositum, immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per unionem.

RESPONDERI posset: Illam potentiam fore accidentalem, non fore tamen compositum illud accidentale absolute, quia mediante illa potentia, etiam potentia radicalis materiæ uniretur, quæ est quid substantiale; in composito autem principaliter attenditur, ad ipsam potentiam radicalem substantialem; hinc, quamvis in multorum sententia, mediante quantitate recipiatur forma materialis substantialis, compositum tamen denominatur substantiale, & in productione ignis B. facta ab igne A. principaliter attenditur ad ipsum ignem, non verò calorem, quo mediante ignis, agit, & in composito substantiali reali simpliciter, apud Modalistas non attenditur ad unionem, quæ non est res

rigorosè, sed ad materiam & formam, quæ, mediante illa unionem, tanquam res veræ uniuntur, & constituunt compositum reale; ita & in præsentem. Quod ulterius in hoc principium resolvi potest; quod scilicet non attendatur in composito, ad id, quod habet rationem ut quo, sed quod habet rationem ut quod, cum & ipsum compositum, indistinctum à suis partibus, ex rationibus ut Quod constituatur: hinc quamvis rationes ut quo, sint accidentales, modò ratio ut quod, substantialis sit, etiam compositum erit substantiale. Quia autem potentia proxima habet se non nisi ut quo, ad compositum, quamvis illa sit accidentalis, modò ipsa potentia ut quod, sit substantialis, poterit constitui totum compositum substantiale. Quanquam non convincitur etiam, quod illa potentia non sit substantialis. Rationes quas addfert, habent retorsionem in forma materiali, quæ est substantialis, & tamen præsupponit materiam, tanquam sui subjectum, & causam.

PROBAT Tertiò Arriaga. Ista potentia superaddita, vel est substantia, vel accidens; si est substantia. Ergo, si illa immediatè recipi potest in materia, poterit & forma substantialis, immediatè recipi; si est accidens, inferam. Ergo si materia, quæ est substantia, non potest immediatè formam substantialem recipere, nec poterit accidentaliter.

RESPONDERI posset. Ideò à materia recipi immediatè, illam potentiam superadditam, quia si illam non reciperet immediatè, daretur processus in infinitum, in istis receptionibus, qui non sequetur, si mediante hac una potentia superaddita, recipiantur à materia formæ; & sicut, quia mediante calore, producit ignis ignem, non sequitur, quia ignis in seipso, mediante alio calore, producit calorem, & universaliter posita mediatione instrumenti, & rationis ut quo, non sequitur, ad ipsum instrumentum, debere dari aliud instrumentum, ita & in præsentem. Posito verò, quod etiam ista potentia sit accidentaliter, bene adhuc poterit, immediatè recipere formam substantialem, quia id non faciet vi & virtute propria, sed nomine potentiæ radicalis, ad eum modum, quo calor immediatè producit ignem, quantumvis ignis alium ignem immediatè non producat, nec tamen dicitur agere supra suas vires, aut magis quàm substantia, quia hoc agit tanquam instrumentum, principalis agentis, & nomine illius.

PROBAT Quartò Hurtadus, vel illa potentia superaddita, est tanquam forma informans materiam, vel non, si non est tanquam forma informans materiam, & est subjectum formarum. Ergo illa potius potentia, quam tu appellas proximam, est revera materia, & non illa

illa, quam tu tibi fingis, tanquam radicalem potentiam, hæc enim jam potentia, esset subiectum primum omnium receptivum, in nullo receptum. Quod ipsum est, esse materiam; imò si hæc potentia immediatè receptiva, non inest materiæ, quomodo, ratione unionis cum illa, censetur forma uniri, ipsi potentiæ radicali: si autem dicis, illam potentiam habere se per modum formæ, informantis materiam, hoc ipso illa potentia, non esset receptiva formarum, quia una forma, non informatur alia formâ, nec ab illa denominatur, essentque duæ formæ substantiales informativæ ejusdem materiæ.

RESPONDETUR. Illam potentiam superadditam, diverso respectu, habituram se per modum materiæ, quia recipit formam, diverso, per modum formæ, quia est per modum advenientis materiæ, ad eum modum, quo formæ partiales, in sententia, eas admittente, habent se per modum materiæ, recipiendo formam totalem, & per modum formæ complendo materiam. Sed posset aliquis dicere, habere se nonnisi per modum materiæ, nec tamen erit revera materia, quia non erit subiectum radicale, nec substantia. *Hinc aliter negativò principio,*

PROBATUR quintò Conclusio, quia hujus superadditæ potentiæ proximæ, nulla est necessitas. *Sed in contra*

OBJICITUR primò. Substantia producit aliam substantiam, mediis accidentibus, v. g. ignis ignem, medio calore. Ergo & materia, recipit formas, media potentia sibi superaddita.

RESPONDET primò Oviedo. Disparitatem esse, quia forma substantialis educta debet constituere unum compositum substantiale, cum subiecto, ex quo educitur, & cum forma substantialis, non possit constituere unum compositum substantiale, cum potentia accidentali, ideo nec in illa recipitur; Effectus verò à causa productus, non debet constituere unum substantiale, adeoque produci ab accidente poterit. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia forma cum eo, cum quo tanquam ratione, ut quo recipiendi, unitur, non debet constituere unum substantiale, sed cum eo, cum quo tanquam radice principali, & ultimo conjunguntur. Hinc bene adhuc posset immediatè uniri, cum aliquo accidenti.

Deinde ut urget Arriaga, etiam ex materia ut causante formam, non fit unum per se. Cur ergo formam, materia, per superadditam potentiam, quæ etiam est accidens, non causabit? præcipue supposito, quod causalitas materiæ, ab unione sit distincta.

RESPONDET secundò Arriaga. Illam potentiam superadditam, necessariò immediatè à sola materia prima causari, quod si semel concessum fuerit; Cur non concedetur, omnes alias formas causari? qui verò ab igne A. censent pro-

duci ignem B. mediante calore, putant substantiam non esse immediatè operativam; *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia immediatè ignis producit in se calorem, nec tamen sequitur, quod immediatè producat alium ignem, sic quamvis materia, immediatè causabit illam potentiam, non sequitur, immediatè, causaturam alias formas materiales, imò universaliter, id quod spectat ad perfectionem alicujus, & completum in sua entitate debitumque esse, id se sola, res illa, nata est facere, habet enim vim emanandi ex se suas perfectiones, & ita immediatè emanat materia quantitatem, anima potentias, si illæ superadditæ.

RESPONDETUR tertio. Disparitatem esse, quia substantiis ex eo provisæ sunt accidentia, quia possunt esse à passo distantes, habereque debent per quod conjungantur passo, illique se, causa introducendæ formæ, influent; jam autem materia, necessariò nonnisi præsens causat formas, ideoque ad illas causandas, à natura provideri aliqua superaddita non debuerunt, imò otiosa fuisset, imò arguens processum in infinitum, potentia superaddita, qua nonnisi mediante, in seipso calorem, produceret deberet ignis.

OBJICITUR secundò Averroes. Si potentia materiæ, est ipsa entitas materiæ, sequitur, aut materiam esse corruptibilem, aut posse aliquid reprodici naturaliter, quod utrumque absurdum est. Sequela probatur: Quia Aristoteles secundo de Interpret. cap. 2. dicit: Cum actus est, potentia, amplius non est. Ergo si potentia est ipsa entitas Materiæ, & hæc potentia perit, & corrumpitur adveniente forma, etiam ipsa entitas materiæ peribit. Deinde si materia est ipsa potentia, sicut manet materia, pereuntibus formis, ita manere debet, & potentia ad illas, si autem manet potentia, debet dari & agens reproductivum formarum perditurum, alias contra Aristotelem; esset aliqua potentia, quæ non posset reduci ad actum.

RESPONDET. Imprimis cum Arriaga, retorquendo argumentum, quod probat etiam potentiam remotam, & radicalem, non esse identificatam materiæ, idque propter easdem rationes.

Rursus adveniente forma, perit potentia, supponens negationem actus, sed non perit potentia, quæ est capacitas actus.

Denique manet illic, nunc potentia, recipiendi formas, sed non potentia, recipiendi formas, sed non potentia pro nunc recipiendi, ad eum modum, quo quocunque instanti manet potentia, movendi se successive, licet non maneat potentia, movendi se successive in instanti, in instanti enim, nulla est successio.

Por-

Porro potentia, quæ est nunc, & ad reducendum se pro nunc ad actum, debet habere agens illius actus, & quia materia non est potentia prout recipiendi formam deperditam, nec agens debet dari reproductivum illius formæ.

Videndum infra, cur non detur à privatione regressus; quamvis autem materia sit indifferens potentia, ad has, vel illas formas, hæc indifferencia, non est necesse, ut tollatur à potentia intermedia, sed ab ipsamet forma superveniente. Concesso etiam, quod mediante quantitate recipiantur dispositiones, non sequitur admitti hoc ipso potentiam superadditam, quia status quæstionis non procedit de quantitate, sed de alia potentia, quæ ad ipsam etiam quantitatem recipiendam, mediare deberet.

Objicitur Tertiò. Dispositiones introductæ, in quantitate Eucharistica, ad formam ignis, exigunt formam ignis, & non exigunt illam tanquam in materia recipiendam, quia hæc non est. Ergo exigunt formam in quantitate recipiendam. Ergo ulterius apparet, formas non immediatè in potentia materiæ recipi.

RESPONDETUR. Quando dicitur, immediatè recipi formas in materia, non excluditur, ut dixi, mediatio quantitatis, sed mediatio potentia, ad ipsam etiam receptionem quantitatis concurrens. Deinde, dici potest ex suppositione miraculi, exigi formam, nonnisi in quantitate recipiendam, faciente id Deo, ad occultandum miraculum, exhibenteque concursum, quem aliàs exhiberet, nonnisi præsentem materiæ; sed secluso miraculo, non exigunt dispositiones productionem formæ, nisi materiæ supposita, imò argumentum multum probat; quia probaret, nec mediatè recipi in materia formas, quia dispositiones in Eucharistia non exigunt productionem formæ in materia, etiam mediatè, cum nulla sit illic materia: & sicut si miraculosè, nonnisi mediante aliqua potentia reciperet materia formam aliquam, non rectè inferretur, secluso miraculo; non recipi immediatè formas, ita & in præsentia.

Objicitur Quartò. Quod est in potentia, in aliquo genere, non est in illo genere; sed materia est potentia respectu generis substantiæ. Ergo non est in genere substantiæ. Ergo est in genere accidentis.

RESPONDETUR. Argumentum probare, nullam dari potentiam substantialem, hinc multum probat; dici etiam posset, quod materia sit potentia respectu generis substantiæ, quæ se habeat per modum completi Physicè, non verò, quæ se habeat, per modum complebilis Physicè, ita ut etiam materia non sit in genere completi Physicè, sed in genere complebilis Physicè. Dictum etiam supra, non esse materiam, potentiam ad esse substantiale, in tota latitudine

sumptum, est enim substantialiter & actu potentia; licet sit Potentia ad esse substantiale, in aliqua specie, quod sit specificabilis à forma substantiali Physica.

Objicitur Quintò. Saltem potentia receptiva formarum accidentalium, debet esse accedens, actus enim & potentia ex 9. Metaph. 7. sunt ejusdem generis, debetque ex communi axiomate, inter actum & potentiam, esse proportionem.

RESPONDET Scotus. Intelligendum esse Aristotelem de potentia objectiva, quod qualis illa est, talis debeat esse actus entitativus. Deinde dici potest, quod inter actum & potentiam non semper sit proportio, in ratione entis, licet sit proportio in ratione perfectibilis, & perfectivi. Unde ulterius, si potentia materiæ ad formas substantiales sit substantia, non poterit argui, multiplicari entia sine necessitate, quod argueretur, si poneretur potentia aliqua accidentalis, condistincta ab ipsa materia, quæ non est ratio, cur ipsamet sufficiens non sit, ad recipiendam accidentia: & sicut, quia forma est substantialis, non ponitur potentia materiæ substantialis superaddita materiæ, sed solum capax substantialis formæ; ita non debet poni potentia accidentalis superaddita materiæ, sed solum potentia capax accidentis sustentandi. Quando autem Aristoteles docet multiplicari potentias, multiplicatis actibus, non intellexit multiplicari potentias entitative, sed formaliter, hoc est potentiam tot esse formarum receptivam, quot formæ receptibiles & sustentabiles.

DIFFICULTAS III.

*De potentia Materiæ, prout est appetitus
tus formarum.*

PRæmittenda est decisioni difficultatis, explicatio appetitus, postea decidendum.

Punctum Difficultatis 1.

Quid sentiendum?

PRÆMITTO 1. Materiam ordinari ad formas. Est enim definitivè potentia ad formas; potentia autem dicit ordinem ad aliud, & quia eo modo ordinatur ad formas, quomodo est potentia ad illas, cum illas non sit naturaliter apta habere, omnes simul, nec ad illas ordinatur simul habendas omnes, quia tamen non est materia, (si spectetur tota, in sua latitudine) alia

† h 3 nunc

numero ad hanc, alia numero ad illam formam, ideo habet potentiam ad omnes simul, simultate, tenente se penes potentiam, non verò, tenente se, ex parte habere formarum. Hinc etiam fit, ut quamvis prius scientia ordinetur ad objectum, in communi, non tamen ordinetur materia ad formam, in communi, quia materia perficitur realiter à formis, in ordine ad constituendum compositum, realiter autem, nihil est nisi singulare, & particulare, hinc, si materia respicit formas, ut sui realiter perfectivas, respicere eas in particulari debet; Scientiæ autem, possunt esse objecta abstracta, imò & entia rationis. Quia tamen materia est subiectum, quarumcunque formarum, ideo Angelus, non potest comprehendere ordinem illum materiæ, licet enim notitia de materia proficiscatur à principio, quod est Angelus, nobiliori quàm sit materia, quia tamen, non pertingit ad infinitos terminos, seu formas, quarum successivè est capax materia, simul noscendas, fit ut non dicatur comprehendere materiam, comprehensione ut supponitur adæquata & completa, terminativeque spectata.

PRÆMITTO 2. *Ex hoc, quod materia sit potentia ad formas, perficiturque formis, inferunt Philosophi, formas esse bonum materiæ: & quia bonum omne, est appetibile, dicunt formas appeti à materia, sed valde Metaphorica locutione.* Appetitus enim ipse duplex ponitur, quidam naturalis, seu innatus; alter elicitus. Appetitus elicitus, est actus vitalis, potentiæ appetitivæ, in bonum cognitum, se affectivè moventis. Appetitus autem naturalis, est quædam naturalis, ac necessaria inclinatio, seu ordo ad aliquam perfectionem, seu bonum, ad quod appetens ordinatur, qualis appetitus est in lapide ad motum deorsum, in igne ad motum sursum; talis etiam appetitus ponitur in materia ad formas, qui in re nihil aliud sit, quàm ipsa materiæ entitas, quæ in quantum dicit capacitatem ad uniri formis, est potentia: in quantum autem, illæ formæ, sunt bonum, & perfectio ejusdem, dicitur esse appetitiva earundem.

PRÆMITTO tertio. *Appetitum hunc innatum, tam in materia quàm in quibuscunque aliis, posse considerari duplicem: Proximum, & remotum.* Proximus appetitus: est ipsa entitas, posita extra circumstantias requisitas ad bonum, quod appetit: quæ ipsa entitas, si postea ponatur in circumstantiis, & requisitis debitis, erit potentia, & appetitus proximus. Quod ipsa Entitas, etiam posita extra circumstantias, & requisita, sit appetitus, hoc inde est, quia extra omnes circumstantias, entitas appetentis, est entitas. Ergo etiam est & appetitus, quia hic appetitus est ipsa entitas. Non est tamen hic appetitus proximus, sed remotus; quia appetitus proximus, est appetitus hic & nunc implebilis, non est autem hic & nunc implebilis, si definit exigita; Prio-

rem appetitum appellat Oviedo inefficacem, posteriorem efficacem. Consule eundem.

PRÆMITTO quartò. *In appetitu elicitò, duplicem adhuc distingui posse actum.* Actum desiderii, & actum delectationis. Actus desiderii est appetitus boni, ut consequibilis, comparabilis, &c. Delectatio autem, est actio appetitus, præsupponens actum amoris & consequens ex notitia boni, quod bonum, jam sit consecutus appetitus.

Retulit hic Oviedo sententiam recentiorum, qui censuerunt, appetitu desiderii, ferri voluntatem in objectum actu existens, cum enim quis actionem aliquam externam liberè exercet, in illo instanti, quo exercetur, est illic intentio efficax, illius exercitii. Ergo & desiderium, nam hoc imbibitur in illa intentione, quod si intentio, & res intenta, simul esse possunt: Ergo & desiderium, cum re desiderata; sed hæc doctrina illorum, non plenè etiam convincit, quia distinguuntur hæc duo, rigorosè loquendo, desiderium, & intentio, quæ talis: Quia desiderium, non est quid respectivum ad media, secus intentio. Unde etiam cum durat mediocrum quæ talium exercitium, ut durat in instanti, quo res fit, durabit & intentio, potest autem non durare desiderium. *His præmissis*

DICENDUM est primò. *Materiam respectu omnium possibilium formarum, habere appetitum remotum, & inefficacem, etiam cum est, sub forma aliqua.*

PROBATUR. Quia appetitus formarum possibile, nihil aliud est, quàm materia, capax recipere formas posibles, si ibi inducantur. Ergo sicut materia habet seipsam, dum est sub aliqua forma, ita habebit & illum appetitum.

DICENDUM est secundò. *Materiam, sumptam cum dispositionibus ad tales in specie formas, desiderare appetitu proximo, omnes formas illius speciei.*

PROBATUR. Quia appetitus proximus materiæ, est ipsa entitas materiæ, una cum dispositionibus. Ergo cum dispositiones non requirant potius hanc in individuo formam, quàm illam, & materia pro sua parte, non magis respectu hujus, quàm illius formæ, est potentia, appetet omnes formas illius formæ, est potentia, appetet omnes formas illius speciei, appetitu proximo.

DICENDUM est tertio. *Si appetitus materiæ, sumatur secundum id, quod dicit ille in reitò, non magis appetit formam nobiliorem, quàm ignobiliorem. Si verò sumatur appetitus pro eo, quod dicit pro connotato, & in obliquo magis, appetitur forma nobilior, quàm ignobilior.* Pro prima parte conclusionis citari possunt: Ruvijs, Averro, Amicus & alii. Pro secunda parte Maftrius, Pontius, cum

cum Scoto; in quartum dis. 49. quæst. 10. & dis. 50. q. 5.

Prima Pars Conclusionis:

PROBATUR. Appetitus materiæ in recto, est ipsa entitas materiæ, sed eadem est entitas materiæ, respectu quarumcunque formarum. Ergo & idem appetitus.

Secundam partem Conclusionis:

PROBAT primò Maltius Auctoritate Aristotelis, in causis præcis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximam ad maximum, sed materia simpliciter appetit formas, quia forma est ejus perfectio simpliciter. Ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maximè, quæ est ejus perfectio maxima; subsume: Sed non appetit magis formas, secundum id quod dicit recto. Ergo secundum id quod dicit in obliquo.

CONFIRMATUR. Accidentales formæ, minus appetuntur præ substantialibus. Ergo & ignobiliores præ nobilioribus.

RESPONDETUR ex Pontio. Propter quod unumquodque tale, & ipsum magis. Cum ergo propter substantiales formas, appetuntur accidentia, sicut media propter finem, magis præ accidentibus appeti debent formæ substantiales; quia autem formæ ignobiliores, nec erunt minus appetibiles.

CONTRA. Tum quia non est ratio cur appetitus, illud magis sequatur, quia hoc quidem finis est, & non quia melius est, certè enim etiam inter ipsos fines, unus præ alio magis appetitur. Ergo taxa appetendi, non est ille ordo; hinc quamvis formæ substantiales ignobiliores, non ordinentur ad formas nobiliores substantiales, poterunt magis appeti formæ substantiales nobiliores. Tum quia fieri potest, ut aliquis, medium, melius, ipso fine, assumat, v. g. amorem Dei, propter temporale habere bene. Ergo pensanda non est, majoritas vel minoritas boni, quia illud est pro fine, hoc, pro medio. Ergo ulterius quamvis formæ nobiliores, non sint finis ignobiliorum, non sequetur, illas non esse meliores ignobilioribus, adeoque magis appetibiles. Tum quia quòd aliquid sit appetibile non habetur ex eo, quia est finis, sed quia bonum majus sit, magis appetetur.

PROBAT secundò idem. Appetitus elicitus, magis appetit majus bonum. Ergo & innatus, magis appetet majus bonum; sed non appetet magis, si sumatur hic appetitus, secundum id, quod dicit in recto. Ergo appetet magis, si sumatur hic appetitus, secundum id, quod dicit, pro connotato, & in obliquo.

Punctum Difficultatis 2.

Occurritur Responsionibus.

&

Probatur ulterius Conclusio.

RESPONDETUR primò. Disparitatem esse, quia appetitus elicitus, fit ex præexistente cognitione, majoris boni, & minoris discretiva; sed appetitus innatus, cum non fiat ex hac cognitione, non habet discretionem nobilioris, & ignobilioris formæ: Consequenter utramque æqualiter appetet.

CONTRA. Tum quia potest esse appetentia in appetitu innato, sine ulla cognitione. Ergo & major appetentia, sine illa discretionem: & sicut appetitus innatus, dicitur appetere, quia capax est recipiendi, & quia hoc bonum illius est. Ergo & appetitus major, per hoc benè salubitur, quia ejus quidem capax est, & quia hoc melius est. Tum quia id quod gerit cognitio in cognoscente, supplet natura in non cognoscente, quam discretionem boni & mali, fieri à natura patet à posteriori, quia indidit aquæ appetitum ad frigus, quod est perfectio illius, unde etiam reducit se semper, ad connaturale suum. frigus, avertendo se à calore, qui non est perfectio illius. Ergo sicut cognoscentia habet, unde possit appetere majus bonum magis, ita habebit, & non cognoscentia, nempe ipsam naturam. Tum quia naturalis inclinatio, debet esse cum maxima rectitudine, utpote indita ab auctore naturæ, at rectitudo naturalis, postulat, ut majus bonum præferatur minori. Ergo & hæc inclinatio naturalis, quæ est in materia, postulat, ut nobilior & melior forma, magis ametur.

RESPONDETUR secundò ex Pontio, disparitatem esse. Eo, quòd non debeant in omnibus habere proportionem, appetitus elicitus, & innatus, adeoque nec in modo appetendi, meliorem formam.

CONTRA est. Concedo non in omnibus debere proportionari, hos duos appetitus, sed querere restat; cur in hoc puncto proportionari non debeant; deinde, quare licitum est argumentari ex eo, quia appetitus elicitus appetit bonum, etiam innatum, appetere bonum, & ex eo, quia elicitus, majus bonum appetit magis, non erit licitum argumentari, quòd etiam appetitus innatus, meliorem formam appetat magis?

RESPONDETUR tertio ex eodem: Quamvis appetitus elicitus, habendo majus bonum, non appetat minus, non est licitum argumentari, quòd nec appetitus innatus, dum habet nobiliorem formam, appetat ignobilior, ita nec adlata argumentatio tenebit.

CONTRA. Quia ne procedat illatio, manifesta est repugnantia, nulla autem pro antecedenti. Hoc ipsum, inde est, quia si ad ignobiliores formas, non haberet appetitum materia, tunc, cum haberet nobiliorem, & non haberet illum ut supponitur, & haberet, quia haberet materia suam entitatem. Appetitus autem, est ipsa entitas materiae. Deinde, etiam antecedens habet difficultatem: nonne habito decem, adhuc appetitur quinque.

PROBAT tertio Pontius. Appetitus materiae nihil est aliud, quam perfectibilitas ejus, sed est magis perfectibilis, per formam perfectiorem, quandoquidem, cum ea componit compositum perfectius. Ergo magis illam appetit.

RESPONDET Quidam. Distinguendo Minorem, magis est perfectibilis materia, per formam nobiliorem, hoc est: potest magis perfici à forma perfectiore. Concedo Minorem: magis est perfectibilis, hoc est magis potest perfici à forma perfectiore. Negatur minor. Explicat sic: In priori parte, ly magis, construitur cum ly perfici, in posteriori, cum ly potest. Majoritas ista, potest se tenere, vel ex parte ipsius potentiae, & sic falsum est, magis esse potentiam materiae respectu formae nobilioris, vel majoritas ista, potest se tenere, ex parte formae, & sic non est dubium, quia perfectior forma, magis potest perficere. Illustrabat hoc instantia; Vitrum potest magis perfici à vino A, quam à vino B, si potest, referatur ad vitrum? falsa est propositio, quia vitrum, non magis potest recipere vinum A, quam vinum B. Si verò, potest, referatur ad vinum? magis potest perfici vitrum à vino A, quia illud melius esse supponitur.

CONTRA. Tum quia majoritas, tenens se ex parte formae, est majoritas respectiva, consequenter etiam in materia, respondere debet magis perfici. Tum quia instantia de vino allata, non convincit, neque enim ordinantur ad se, vitrum & vinum, nec à vino natum est perfectiorem desumere vitrum, imò non apparet, quomodo melius vinum, magis perficere possit à parte sua vitrum, cum nullo modo illud perficere possit. Tum quia si per illud, ly falsum est, magis esse potentiam, materiam respectu formae nobilioris, non plus significat, quam quod non sit, quoad entitatem, & secundum id, quod dicitur in recto, ille appetitus major, vera est propositio, & non procedit contra nostram conclusionem, sed insuper.

CONFIRMATUR conclusio. Materiam magis appetere formas, nobiliores, nihil aliud est, quam formas nobiliores, esse majus bonum materiae. Sed de facto formae nobiliores, sunt majus bonum materiae. Ergo de facto magis appetuntur. Major probatur: Statu ipso quaestiones, & intento conclusionis. Minor probatur, illud, quod id praestat materiae, quod & formae ignobiliores praestant, & insuper plures

gradus bonitatis secum adfert, est majus bonum materiae, sed formae nobiliores, id praestant, quod ignobiliores, & insuper plures gradus bonitatis, secum adferunt. Major probatur inductione, in omni bono, quod censetur esse majus, praeter alio, si illud sit increatum, Minor probatur, quod scilicet, idem praestet forma nobilior, quod ignobilior, quia componit compositum, informat, & complet materiam, quod autem plures gradus bonitatis adferat, sic probatur. De forma nobiliori falsa est haec contradictoria; forma nobilior non adfert plures gradus bonitatis, alias non esset nobilior, quia nobilitas formae, desumitur ex pluralitate graduum bonitatis. Ergo vera erit, haec altera contradictoria; forma nobilior fert plures gradus bonitatis. Deinde ex parte materiae, non repugnat aliquid magis appeti, conceditur enim à plerisque oppositorum, magis appeti substantiales formas, praeter accidentales, nec est ratio, cur non magis appetantur nobiliores formae. Ergo appetuntur magis.

Punctum Difficultatis 3.

Solutio Objectionum.

Contra primam Conclusionem.

OBJICITUR 1. Si materia, haberet appetitum, ad omnes formas, haberet etiam ad corruptas: ad corruptas, habere appetitum non potest, ad impossibile enim, haberi appetitus non potest, formae autem corruptae, sunt impossibiles.

RESPONDETUR. Quod, sub conditione, si daretur agens corruptarum formarum reproductivum, appetat materia corruptas formas, licet non appetat absolute & proxime.

OBJICITUR 2. Si ex eo, bene argueretur, materiam appetere omnes formas possibiles, quia entitas materiae, est hic appetitus, quae manet tunc, cum est forma, sequeretur quod materia eodem appetitu, appeteret formam praesentem, & absentem, sequiturque quod praesentem desideret, & de absentem delectetur.

RESPONDETUR. Eodem appetitu, omnes illas formas appeti, secundum id, quod dicit appetitus in recto, nempe suam entitatem, sed non eodem, formaliter, secundum connotata requisitorum accepto, ratione quorum connotatorum deficientium, non oblectatur formaliter de forma absentem, licet coincident desiderium, & delectatio, secundum id, quod dicunt in recto.

OBJICITUR 3. Quilibet forma exsariat appetitum materiae. Ergo nullo appetitu, alias prosequitur.

RESPONDETUR. Consequens esse verum, de appetu.

appetitu proximo, non de remoto, vel de appetitu eius, in quantum respicit finem suum particularem, qui est esse completam, & esse in composito, sed non de appetitu respiciente bonum universi, cuius majus est bonum, pluralitas formarum. Unde etiam, cum est sub una forma, appetit corruptionem non per se, sed indirectè, in quantum non nisi in decessu alius formæ substantialis, capax est recipere naturaliter, aliam formam substantialem; & licet forma præsens, sit etiam bonum universi, quia tamen est bonum particulare, & minus, ideo varietatem formarum, tanquam majus bonum, & universalius appetit.

Supposito etiam, quod absolute loquendo, satiet appetitum materiæ una forma, non sequetur, quod aliæ formæ, tunc non appetantur à materia; quia licet appetitus elicitus, non possit appetere aliud, quando est satiatus, potest tamen innatus. Rationem dat Pontius: Quia satietas involvit negationem ulterioris desiderii, & tunc judicamus hominem esse satiaturum, quando nihil amplius appetit, præter id, quod habet; at satietas Materiæ orta à forma habita, non involvit negationem appetitus innati, respectu aliarum formarum, siquidem cum illis potest facere, unum per se. Rursus posita satietate, Appetitivi, apti appetere appetitu elicitu, non est unde salvetur appetitus alius, non ex actu elicitu, quia hic non ponitur, non ex quocunque alio, quia quodcumque ponitur, non erit sufficiens ad denominationem elicite appetiti, quia deberet dari elicitum, sine elicitivo; jam autem, posita una forma in materia, potest ostendi, in quo salvetur appetitus innatus Materiæ, ad alias formas, nempe, in ipsa entitate Materiæ, quæ habet potentiam ad alias formas, & in ipsa entitate formarum, potentium perficere Materiam, neque enim, quod una forma perficiat Materiam, adimit aliis vim perficiendi, neque facit ne sint perfectivæ.

Objicitur 4. Si materia, appetit formas possibiles omnes, etiam cum est sub forma aliqua substantiali, sequitur illi esse violentum, informari ab hac forma, ad eum planè modum, quo lapidi est violentum, ire rursus, eo, quod tunc appetat deorsum.

Respondetur. Negando sequelam: disparitas est, quia lapis est determinatus & adstrictus, ad hanc in specie, versus centrum, tendentiam; materia autem non est adstricta, & determinata, ad hanc in specie completionem, & certè non ex eo violentus est lapidi motus sursum, quia est incompatibilis, cum motu deorsum, alias etiam motus deorsum esset illi violentus, nam etiam hic non est compatibilis cum motu sursum; sed ideo est violentus, quia illud incompatibile, hoc est motus sursum, non est bonum illius, quod appetat connaturaliter; formæ autem quæcumque, præcipue substantiales,

sunt bonum Materiæ. Neque censendum, Materiam fastidire tunc formam præsentem: quis enim dicat, id fastidire Materiam, circa quod exercet appetitum fruitionis, & complacentiæ: quantumvis per hoc, non amittat potentiam aliarum formarum capacem, quæ capacitas, est illius appetitus remotus. Eset quidem violentum Materiæ, esse sine omni forma; sed non habere omnes formas, una non nisi habita, non est illi violentum, quia etiam, unam formam habendo, est completa substantialiter.

Objicitur 5. Saltem in instanti, quo materia, supponitur eam appetitu complacentiæ ad aliquam formam, nihil appetit appetitu desiderii, pro illo instanti. Quod ipsum probatur: si enim aliquid appeteret, tunc materia maximè appeteret formam substantialem, casu quo hæc deficeret; hanc non appetit, quod ipsum probatur: Implicat ex suppositione appetitus complacentiæ, qui involvit ipsam existentiam formæ, formam deficere. Ergo implicat purificatio conditionis, sub qua, alia forma esset appetenda.

Respondetur. Distinguendo antecedens. Nihil appetit forma, appetitu remoto desiderii nego, nihil appetit appetitu proximo, concedo: appetitus enim remotus, non attendit ad hanc conditionem: casu si deficiat illa forma, sed totus stat in hoc, quia entitas Materiæ, est capax etiam aliarum formarum.

Contra Conclusionem Tertiam.

Objicitur 1. Materia non est magis capax animæ rationalis, quam animæ bruti. Ergo æquè appetit formas ignobiliore, ac nobiliores.

Respondetur. Æquè quidem est capax Materia, quarumcunque formarum, sed non æquè illis perficitur, ratione cujus inæqualitatis, potest appetere magis & minus: unde etiam negatur, non esse illas, quæ in se meliores etiam materiæ; sicut enim non tantum sunt Formæ, bonæ in se, se bonæ Materiæ, ita non tantum sunt meliores, in se, sed & meliores materiæ, cum præsertim illa melioritas, sit indistincta realiter ab ipsamet bonitate, qua, bonæ sunt formæ, ipsi Materiæ.

Objicitur 2. Materia solum appetit formas, ut cum illis faciat unum per se, sed cum quacunque facit unum per se. Ergo æqualiter omnes appetit.

Respondetur. Cum quacunque forma substantiali, facit materia unum per se, sed non æqualis perfectionis, sed cum nobiliori forma, facit compositum nobilius. Rursus quia ponuntur à nobis, in materia, appetitus & nobilioris, & ignobilis formæ; dici potest quod secundum appetitum nobilioris formæ, petat interitum ignobilioris formæ, sicut etiam, secundum appetitum ignobilioris formæ, petit inter-

teritum nobilioris, quamvis ille primus appetitus præpenderet; vel certe dici potest, quod si materia appeteret, appetitu determinato formas nobiliores, deberet appetere interitum imperfectiorum: sed quia determinatè illas non appetit, nec appetit, interitum aliarum; si enim indeterminata est, ad utrasque, licet magis has, quam illas appetat, non debet deposcere interitum alius, hæc enim deposcetia, argueret ejus determinationem.

INSTABIS. Si appetitus Materiæ, est ipsa Materia entitas, quæ est capax formæ: Ergo cum eadem sit capacitas frigoris in aqua, & capacitas caloris, bene capacitas caloris, in aqua, appetitus dici poterit.

RESPONDETUR. Appetitus Materiæ, est capacitas Materiæ, non quomodocunque spectata, sed prout Forma, est bonum illius, cum ergo, non sit bonum aquæ calor, capacitas illa aquæ, pro recipiendo calore non dicitur appetitus: nisi fortè dicas, quod capacitas illa aquæ, in aqua quæ, & secundum materiam spectatæ, sit appetitus caloris.

OBJICITUR tertio. Appetitus Materiæ, est ipsa potentia materiæ; sed hæc, est indifferens ad nobiliores, vel ignobiliores formas. Ergo & appetitus, est indifferens.

RESPONDETUR. Quod appetitus materiæ, in recto, sit ipsa potentia materiæ, sed in obliquo dicit ipsam formam, quæ potest esse melior, & non melior, adeoque magis, vel minus æstimabilis; Ex dictis etiam, id adferri potest, quod potentia materiæ, sit indifferens hoc sensu: quia potest, non magis hanc recipere, quam illam formam; sed non indifferens, quasi non magis per hanc, quam per illam formam perficiatur; In idem recidit, quod dicit Maftrius, quod materia, sit indifferens; hoc est, cum exclusione appetitus determinati, ad formam nobiliorem, sed non indifferens, cum exclusione inclinationis majoris, vel minoris, ubi jam relinquetur locus, ad meliorem formam majoris inclinationis?

QUÆRES: Si daretur forma, quæ contineret eminen-
tenter, perfectiones aliarum formarum, materia illi unita, desideraretne appetitu remoto, ceteras formas?

ASSERO desideraturam: Ratio. Tum quia ut urget Pontius, appetitus, Materiæ est perfectibilitas illius, sed non obstante hac forma continente aliarum formarum perfectiones, est perfectibilis Materia, per alias formas, potest enim cum illis constituere unum per se. Ergo dicit appetitum ad illas. Tum quia vel amittit Materia suam entitatem, cum est sub forma, continente virtualiter alias Formas, vel non amittit: si amittit; Ergo Materia est corruptibilis. Ergo non est subiectum primum, in quod abeunt omnia; si verò non amittit Materiâ suam entita-

tem, accessu formæ, virtualiter alias formas continentis. Ergo nec amittit appetitum ad alias formas, nam hic appetitus in re, remotus, est ipsa entitas materiæ. Tum quia, posita forma, virtualiter continente reliquas formas, vel reliquæ formæ amittunt suas perfectiones, vel non amittunt; si non amittunt: Ergo adhuc bonæ sunt, adeoque appetibiles à materia; si amittunt: Ergo tu aliquid sine fundamento asseris. Summum enim bonum, quod est Deus, non destruit bonitatem, quam habent in se reliquæ Entia, quæ etiam comparative ad Deum, sunt etiam, (licet minus infinite) bonum. Deinde si amittunt reliquæ formæ, suam bonitatem, in præsentia formæ virtualiter continentis reliquas formas, saltem Deus, non amittit vim producendi formas, minus illa priori bonas: cur ergo illas, tanquam bonum etiam suum, non appetet materia?

DICES primò. Voluntas, quamvis sit potentialibera, tamen non eligit minus bonum, in comparatione majoris. Ergo nec appetitus innatus.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, de quo, prima parte D. 5. N. 105. & in Anim. Disparitas etiam dari potest; quia electio voluntatis, non est ipsa voluntas, sed ejus actus: non ergo hoc ipso, quia eligit majus bonum, voluntas dicenda est eligere minus bonum, jam autem appetitus materiæ, est ipsa potentia materiæ, quæ est eadem, ad formas quascunque.

DICES secundò. Deus visus, ita satiat appetitum creatum, ut eo habito, non appetat aliud videre. Ergo etiam & dicta forma, ita satiabit appetitum materiæ, ut illa habita, reliquas non desideret materia.

RESPONDETI potest pluribus viis. Imprimis negando Antecedens: nunquid enim, non desiderat videre concernentia personam suam Beatus? Disparitas etiam est, quia appetendo Deum, non debet censerī appetere, hoc ipso, reliqua extra Deum, quia appetitus ille beati, non est ipsa voluntas beati, sed actus illius. Actus autem unus, non est actus alius; jam autem appetitus formæ descriptus, est ipsamet entitas materiæ, & bonitas formæ, hinc appetendo materia, formam illam, æquivalentem pluribus formis, censetur etiam appetere reliquas, quæ supponuntur adhuc esse bonæ. Nec censetur tunc, materia appetere malum simpliciter, appetendo minus bonas formas, adhuc enim illæ sunt bonæ, eò, quod possint cum materia, constituere, unum per se; sed appetet malum, secundum quid; hoc est, non ita bonum, & quia scilicet non nisi expulsa nobiliori forma, potest materiæ se communicare, ignobilior Forma. Unde ulterius prædicta forma, non completabit totalem appetitum materiæ, quia satietas materiæ, est completio illius substantialis, manet

DIFFICULTAS I.

net autem materia, adhuc complebilis ab aliis formis.

Dices tertio. Id quod habet aliquis eminenter, non desiderat habere formaliter. Ergo etiam materia, habens formam æquivalentem reliquis, non desiderat reliquas. Antecedens probatur: quia etiam Deus, habens entitatem suam, æquivalentem perfectione quibuscumque possibilibus, non desiderat reliquas perfectiones, nec homo æquivalens perfectione bruto, desiderat esse brutum.

RESPONDETUR. Id, quod aliquis continet eminenter, potest desiderare appetitu innato, licet non elicto: non quidem elicto, contentatur enim illo eminenti; sed potest desiderare appetitu innato, eo, quod ille, sit ipsamet entitas, & bonitas alius, quorum utrumque reperitur, habito etiam aliquo eminenter continente. Deinde Antecedens non convincit, nec inductio est sufficiens, nam unus Imperialis, continet unum grossum, & alterum, & tamen habito Imperiali, desiderantur illi grossi. Porro, tunc habito eo, quod eminenter continet reliqua, non desiderat quis habere alia, quando illa alia, nihil habent specialis propriæ, & debitæ appetenti, amabilitatis, sicut esse creaturæ, nihil habet propriæ specialis, & debitæ amabilitatis Deo, esse item bruti, respectu hominis. Jam verò, in comparatione perfectioris Formæ, habent adhuc formæ ignobiliores propriam, specialem, debitam appetitui Materiæ, perfectionem, adferuntque prædicatum, dignum adhuc materia, nempe alius rationis substantiale compositum.

QUÆSTIO IV.

De Unitate, ingenerabilitate, & incorruptibilitate Materiæ.

A Gemus imprimis de Unitate Materiæ, postea de ejus ingenerabilitate & incorruptibilitate. *Quod attinet ad Unitatem:*

Corporalia sunt corruptibilia, alia incorruptibilia; de utrorumque materiæ unitate, agendum erit. Et quidem, non quæremus hic, de unitate numerica materiæ, nam certum est, in singulis individuis materialibus, esse illam divisam, & multiplicatam realiter, quod ipsa separabilitas arguit, sed erit quæstio de unitate specifica; An scilicet in omnibus corporibus, sit eadem specie materia?

De quo fit:

An Corporum corruptibilium eadem sit specie materia?

Uo hic inquiremus. 1. An materia sublunarium, defacto sit una specie? 2. An sit possibilis alia specie? *Quoad primum,*

Dicendum est primò. *Materiam corporum sublunarium, esse eandem specie.*

PROBARI solet 1. Omnia corpora sublunaria, transmutantur adinvicem, ut ipsa experientia ostendit, & tamen ratione materiæ non requirunt diversitatem specificam. Ergo materia in omnibus sublunariis, est eadem specie. Antecedens probatur: Quia si in transmutationibus acquireretur materia distincta specie, tunc v. g. Paulus, comedens nonnisi pisces, & olera, esset distinctus à Joanne, comedente carnes.

RESPONDERI posset. Concedendo prædictam distinctionem, negandoque ulterius intervenire tunc continuationem, in illis materiis, neque extrema haberent idem, sed intervenire solam non discernitionem & contiguitatem, qualis habetur in osse, & carne, & si hæc contiguitas petibilis ob diversitatem formarum, non obest animationi, nec oberit contiguitas petibilis ob diversitatem materiæ, sufficiet enim, nullam intercipi partem, ubi non sit materia, & ubi non sit Forma, eritque adhuc totum illud unum per se, quia constabit partibus, quarum una, est potentia, alia actus, utrumque substantiale utrumque ordinatum ad se.

PROBARI potest 2. Quorum prædicatum, primo essentiale est idem, illa sunt idem specie, & sic quia esse animal rationale, est primò essentiale, tam Petro, quam Paulo, hinc idem sunt hæc, specie; sed materiæ quorumcunque sublunarium, habent eundem conceptum primo essentialem; omnes enim sunt subiectum primum, vel potentia radicaliter accepta, &c. Ergo.

RESPONDERI posset. Hunc conceptum, esse primò essentialem, materiæ genericè acceptæ, & sicut primò essentialis conceptus animalis, est vivens sensitivum, & tamen sub vivente sensitivo, dantur plures species; ita sub hoc primo essentiali conceptu, qui est esse subiectum primum, possunt esse, distincta specie, subiecta prima. *Hinc commodius,*

PROBATUR 3. Conclusio, argumento negativo, nullum est fundamentum & nulla necessitas, adstruendæ hujus specificæ diversitatis, in ipsa Materia, proportionandique ita Materias Formis, ut pro diversitate formarum, sit diversitas, Materiæ. Et sicut eidem ligno potest induci forma artificialis Mercurii, & Saturni; sic eadem specie materia, dicenda est, esse capax plurium formarum.

Obj-